



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pro Calendario Gregoriano Disputatio Apologetica

Busaeus, Johannes
Roest, Petrus

Mogvntiæ, Anno 1585

De Statv Controversiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43749

DISPUTATIO APO-
LOGETICA PRO CALENDARIO
GREGORIANO. *publicato 1502. 1502.*

DE STATV CONTROVERSIÆ.

I.



VIDAM Theologiæ Lutheranz Professor Ia-
cobus Heerbrandus anno proximo Tubingæ
Disputationem de Adiaphoris & Calendario
GREGORIANO in lucem emisit, in qua
multis quidem, aut futilibus, & putidis argu-
mentis probare conatur, Calendarium novum
Gregorianum bona conscientia ab Ecclesijs Protestantium reci-
pi non posse.

II. Huic Disputationi apologiam Catholicam opponemus, vt
videant imperiti, quantas Professor ille clarissimæ luci conatus
sit offundere tenebras, diuinarum scripturarum testimonijs in
sui perditionem deprauatis, & quæ responsione dignæ non sunt
alienis quæstionibus, ac iniquissimis in Pontificem Romanum
calumnijs & maledictis.

III. Viam vero & ordinem eum in refutando tenebimus, qui
ad aduersarij ratiocinationes nullo ordine tractatas, sæpeque ad
nauseam repetitas, nostrasq; responsiones intelligendas magis
erit accommodatus.

IIII. STATVS igitur totius controuersiæ, (vt inde ordia-
mur, & alia omnia, de quibus inter nos & Tubingensem con-
uenit amputemus,) hac vna quæstione, non diffitente Heerbran-
do continetur. POTVERINTNE Ecclesiæ Protestantium bo-
na conscientia Calendarium emendatum, & à Pontifice Romano diuulga-
tum recipere?

V. Quod non potuerint, illa in primis ratione, vt aliæ om-
nes desint, Disputator confici putat. Quod qualecunque tandem
sit Calendarium Gregorianum, hoc ipso bona conscientia à suis

B

recipi

recipi non possit, quod à GREGORIO XIII. unde & nomen accepit, Pontifice Romano, capitali noui Euangelij hoste sit profectum, *Non, inquit, si ab Imperatore Romano, Electoribus, Principibus, alijsq; Imperij Ordinibus, quorum hæc erat cura, studio & diligentia Mathematicorum correctum esset vetus Calendarium, tum & politicum esset, & absq; omni tergiversatione ab omnibus grata mente susciperetur.*

VI. Verum hanc rationem, omni ratione vacuam esse, in qua tamen ille arcem causæ suæ posuit, nemo non videt. Sed quia odio Romani Pontificatus excæcati Ministri Verbi forte negabunt se id videre: agite inquiramus num ab alio quàm à summo Pontifice iure debuerit, vel etiam commodè potuerit Calendarium peritissimorum Mathematicorum studio & industria correctum Germaniæ cæterisque amplissimis orbis Christiani regnis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Lusitaniæ, Indiarum, Poloniæ, Hungariæ, Sicilia, Angliæ, Scotiæ, Suetiæ promulgari.

ROMANO Pontifici incumbere curam emendandi Calendarij

VII. Quod enim Romanis Pontificibus ea cura in primis incubuerit, ut longissime probationem arcessamus, inde similitudine quadam æstimari potest, quod C. IVLIVS Cæsar, non qua Monarcha Imperij Romani, sed qua Pontifex Maximus fuit, anni rationem, & quo nos hæcenus vsi sumus Calendarium, opera & studio Sofigenis Mathematici Alexandrini, & M. Flauij scribæ primus emendauerit, orbiq; publicarit: in eoq; festa tunc in Repub. Romana vsitata adscripserit, quo nomine præclare cum de Repub. meritum esse vltro Tubingensis concedit.

VIII. Vnde duo vel etiam tria contra aduersarium exstruuntur argumenta. Primum est, potestatem constituendorum temporum, indicendorumq; festorum ad Principem Ecclesiæ & religionis, quod natura docuit Gentiles, & non tantum ad Ecclesiam totam, vel Ecclesiasticos Ministrorum conuentus, ut isti passim nugantur, pertinere.

IX. Alterum est, Disputatorem cum schola Tubingensi male-

C. Sueton. in
vit. Cæs. Mac.
l. 1. Sat. c. 1. 4.
Plin. l. 18. c. 25
Plut. in vita
Cæs. Dio Cass.
lib. 43. Rom.
hist.
ibid. 80.

ibid. 39. 40. 41.
92.